QVÆSTIO MEDICA
CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA
IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS VII. APRILIS
M. SIMONE LE TELIER Medico Regio, Moderatore.

868

Licet-ne citra ſanitatis diſpendium bis in die piſcibus ſatiari?



NA ratio eſt ortus atque interitus rerum penè omnium: ſcilicet eædem ipſæ, quæ ad mixtorum coagmentationem convenerunt naturæ ſimplices, tãdem ſuo diſceſſu atque diremptu ipſa diſſolvunt: vtque eſt animalium & eorum omnium, quæ mundi imperio tenentur, corporum natura ex eadem concreta materie, iiſdemq; conflata principiis, ſic vna ſors cuncta manet. Præter hanc communem omni planè rerum generi pereundi fatalem quandam neceſſitatem, alias habet homo inteſtinas ſui interitus cauſas, μάρανσιν, τῆς ὅλης οὐσίας ῥύσιν, καὶ τὴν τῶν περιττωμάτων ἀναγκαίαν γένεσιν: vt non tantùm hominũ vita rerum externarum inſidiis appetatur, quæ illi ſæpè perniciem afferunt; verùm etiam, quod iniquiſſimè videtur à natura cóparatum, idem ille qui ipſum genuit & toto vitæ curſu moderatur calor, dum ſuæ conſervationi ſtudens, humido tanquã ſuavi pabulo reficitur, corporis ſubſtantiã omnẽ depopulatur atq; tabefacit, vt ſibi ipſi vim afferat & corpora, quorum ſalutem tueri debet, graui mactet infortunio.



VÆ ſui ſemper diligens & conſervatrix eſt natura, huic, quam omnino effugere nequit, calamitati præſidium & ſolatium quoddam oppoſuit, quo diutiſſimè ſe tueatur, quando immortalitatem aſſequi non poteſt. Admirabilem nempe rationem iniit, qua partium corporis aſſiduam iacturam & ſiccitatem aliquo pacto inſtauraret atque inhiberet, vnius alimenti divino quodam beneficio: quod quidem non ex meris elementis, metallis, auro quauis arte parato, vnionibus, aut odoribus elicitur; ſed ex cæteris mixtis corporibus, ſive vitâ olim fuerint prædita, ſive animæ expertia: quæ humore aërio circunfluunt, eoque pingui, calido, ſpirituoſo & ad coquendum apto, qui ſolus ſubſtantiæ iacturam reſarcit. Huius præcipuè ſubſtantiæ ſpirituoſæ ratione, alimenta quibuſdam viventibus familiaria cæteris pernicioſa ſunt & infeſta. Nec verò ad ſalubrem vitam ſatis eſt alimenta penes ſubſtantiam & qualitates eſſe corpori nutriendo conſentanea, niſi inſuper moderatâ copiâ, certoque ordine ac tempeſtivè aſſumantur: Neque minus ciborum ἀταξία quàm ἀκαιρία coctionem interpellat; quæ vt rectè inſtituatur, ventriculus eſſe debet omnis impuritatis expers, nec vnquam novus cibus ingerendus niſi priore iam excocto & elaborato. Cocta edulia crudis, aſſa elixis, ſimplicia variis, ſunt præſtantiora.



D valetudinem optimam conſervandam nihil æquè confert ac alimenta ſi in mediocritate quadam poſita εὔπεπτα, εὔχυμα in ventriculo, hepate, venis & ſingulis partibus, quæ ſunt quatuor coctionis officinæ, probè ſubigantur & conficiantur: ſic enim numeris omnibus expleta habetur nutritio, quæ vt inter functiones quæ in corpore adminiſtrantur non poſtremas tenet, ſic in ea cumulanda & perficienda, natura multum operæ & ſtudii ponit. Spiritus enim & caloris vberrimi appulſu, alimentum primo quidem diſſimile alteratur, tandiuque in ipſum calor vires exercet ſuas, dum plenè & omninò in corporis ſubſtantiam fuerit commutatum: quod quidem non repentè, ſed ſenſim multâque morâ efficitur, maximè ſi alimentum à ſubſtantia & temperie corporis paulò ſit alienius: at vero facilis atque expedita eſt eius commutatio, quod familiaritate quadam naturæ aliiſque dotibus eſt cum corpore noſtro coniunctum.



OMO ζῶον πάμφαγον, quamvis inſtar quorundam animalium ſingulari cuidam cibo ita addictus non ſit, vt citra eius præſidium vivere nequeat; tamen longè ſaluberrimũ maximéque familiarem cibum ei ſuppeditant carnes animalium terreſtrium, ſi cum pane triticeo, cui hordei aliquid admixtum fuerit, comedantur bis quoq; die donec famem explverit, ita vt cœna ſit prandio liberalior. Etſi enim multùm diſcrepent alimenta ex animalibus deprompta pro eorum naturâ, ætate, ſexu, habitu, pabulo, & præparatione, nihilominus hoc habent omnia, quòd eorum elementorum indolem referunt in quibus animalia vitam duxerunt. Ita enim volatilia ſuccum quidem præbent laudabilem & coctu facilem, ſed parciorem, tenuiorem & qui facilè diſcutiatur. Terreſtria carne prædita ſolidiore, vt craſſiorem, ita firmiorem & ægrè diſſipabilem ſubſtantiam procreant. Piſces omnes aquæ vitio frigidi, humidi, victum impertiunt frigidiorem & humidiorem, crudum atq; pituitoſum ſuccum cumulant, adeóque excrementorum vberrimum in ventriculo, venis & toto corpore faciunt proventum, cuius ratione Ichthyophagi Πάντες βλεννώδεις εἰσί, μέσοι λάπης atque in morbos frigidos plurimùm propenſi.



ISCIVM quàm cæterorum animantium plura diſcrimina, quæ tamen omnia à loci, generis & ſubſtantiæ varietate proficiſcuntur. Si loci quem incolunt habeatur ratio, omnium deterrimi ſunt qui è terra effodiuntur; ab his, paluſtres, lacuſtres & fluviatiles, maximè qui ex ipſis in cœno & aqua immotâ degentes, ſordibus aut vitioſis alimentis veſcuntur. At qui limpidos & rapidos decurrũt amnes, quos ventus afflat borealis, piſces κυματοπληγεῖς & exercitati, minùs ſunt in vitio, quia non adeò excrementis diffluunt. Minimè omnium pelagii & ex iis ſaxatiles, aut qui arenoſa & aſpera colũt littora, qui etiam febricitantibus citra ſalutis diſpendium aliquando concedi poſſunt. Si genus ſpectes, cetacei, cartilaginei & qui cruſtâ vel teſtâ obducuntur, carnem fere obtinent duram, craſſam, deterrimi ſucci, quæque plurimum negotij ventriculo exhibeat; molles, lentam magis & mucoſam; præ cæteris anguilla, quæ etſi condimentorum iucunditate δείπνων ἑλένη καὶ ὄψων μέγιστον ab hominibus addomini natis nuncupetur, tamen ob ſucci lentorem & pravitatem maximè inſalubris exiſtit. Demum, ſi conſiſtentiam æſtimes, omnium ſunt vitioſiſſimi præpingues, & qui vna cum duritie lentorem nacti ſunt: at qui teneram ſimul & friabilem carnem obtinuere, non ita vituperandi. Omnes verò & temperie & ſubſtantiæ quodam diſſidio à noſtri corporis natura longiſſimè diſiuncti videntur, cum excrementa cumulent multa, ventriculo ſint graves, viſceribus infeſti, & ſanguinem proferant labe quadam aſperſum, atque ad putredinem proclivem. Qui ergo valetudinis curam antiquiſſimam habet Κρεωφάγος ἔστω καὶ ἀπιχθύς: aut ſi piſces quandoque adhibeat, ſaltem id ſemel quoque die præſtet. Hac enim ratione non tantam congeret vim & colluviem ſuperfluitatum, quæ quidem non ægre à calore natiuo, ſi vegetus exiſtat, morâ temporis tandem conficientur. Si verò iiſdem ſæpius ſe ad ſatietatem expleat, non diu vitam protrahet, neque valetudinem ſuam vendicabit à morborum graviſſimorum incurſibus: verùm pituita eorum in ventriculo magnâ copiâ collecta primam coctionem interpellabit, quæ cum non probè perficitur corruere neceſſum eſt cæteras omnes functiones, adeoque conſequi partium omnium labem κοιλίης νάρκωσιν, τῶν ἄλλων σύγχυσιν, καὶ τῶν ἀγγείων ἀκαθαρσίην:

Ergo non licct citra ſanitatis diſpendium bis in die piſcibus ſatiari.

315.

Proponebat Lutetiæ EVSEBIVS RENAVDOT Iuliodunenſis. A. R. S. H. M. DC. XXXIX.